



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 58. Querimonia de Religiosis Mendicantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul XIV. A.C. 1351 teras confici patentes iussit; quarum executionem commisit Præfecto Tolosano, cæterisque Occitanie Prætoribus. Fratres Minores ac Dominicani omni ope ac opera enitebantur, ut hoc mandatum revocaretur; & authoritatem Papæ implorabant. At Rex persistens in sententia eos obedire, aut cedere de regno voluit. Parebant igitur, sed ægerrime.

§. LVIII.

Querimonie de Religiosis Mendicantibus.

Cont. Nang. p. 815. Eodem anno 1351 Cardinales multique alii Præsules cum magna Parochorum multitudine in Romana curia confluebant contra Ordines Mendicantes; cupiebant eos supprimi; & in senatu acriter contendebant hos Religiosos nec acciri ab Ecclesia, nec deligi; non verbi divini præconium, non administrationem pœnitentiæ, aut sepulturam ad eos pertinere; atque per istam ditatos esse. Cardinalis quidam hac super re sermonem fufum habebat: nec Mendicantes, qui aderant, reponebant quidquam. Sed Papa defendens eos agebat: Hi Religiosi non ita spernendi sunt, ut dicitis: vocavit eos Deus ac Ecclesia, ut ipsam adjuvent: nec propterea, quod posteriores venerint,

venerint, minus numerandi sunt inter ministros ejus: ut S. Paulus, quanquam accersitus ultimo, primos inter Apostolos locum obtinet.

Sæcul. XIV.
A.C. 1351.

Pergebat Papa conversus ad Præsules: Quid proponeretis populo, si tacerent hi Fratres? Animi modestiam commendaretis vos, qui maximam cunctos inter status superbiam & luxum in curribus ac equis, in comitatu, & supellectile, rebusque omnibus præ vobis ferre soletis? De paupertate loqueremini vos, quibus tanta tenacitas infidet atque cupiditas, ut universa per orbem beneficia vos nequam fatiarent? Sileo de castitate: Deus novit cujusque mores; & quam molliter multi sua habeant corpora viventes in deliciis. Multi vestrum oderunt Mendicantes, ac ne vita sua deprehendatur, suas eis fores præcludunt, dum scurris & infamibus benefaciunt. Non debetis in invidiam adducere, si Mendicantes ultimæ pestis tempore aliqua bona receperunt pro cura ægrorum & morientium, quos multi Parochi destituebant. Siqua ædificia exstruxere: in ornamentum templi potius, quam commodi privati gratia id fecerunt. Sed vos tenere omnia vultis, quos ad usus, Deus scit. Hæc sunt, ob quæ hos Religiosos pauperes averfimini. Denique Papa eis exponebat mala Ecclesiæ obventura, si votis ipsorum

Sæcul. XIV,
A. C. 1351.

annueret : dicebatque, ut ambæ partes querelas suas scripto traderent : se cognitores eis egregios designaturum.

§. LIX.

Clericorum carceres.

to. II Conc.
p. 1928.

Antea de severitate carcerum monasticorum, ut vidimus, postmodum e contrario de facili captivitate Clericorum nocentium querelæ movebantur. Id docet Simonis Iffipii Cantuariensis Archiepiscopi ad Radulphum Strafortium Episcopum Londinensem epistola, ubi ait: In ultimo senatu conquerebamur, quod profani Judices condemnent, ac perimant Clericos, quin etiam Sacerdotes. Sed, ut nobis responsum est, Clericos privilegium suum reddit audaciores ad committenda crimina: & comprehensi, vel saltem accusati convictique repetenti se Judici ecclesiastico reverenter traduntur: sed asservantur ab eo socorditer; & in carcere tam laute vivunt, ut hic eis sit deliciarum, non pœnæ locus, ac peiores exeant, quam intrarunt. Quidam etsi manifesto fontes, & cooperti criminibus non excusandis tam facile admittuntur ad purgationem canonicam, ut ad vitam priorem redeundi spem conservent. Et malum hoc exemplum est Clericis cæteris

ris